

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XIX.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

JOACHIMO LEISTENIO

Neo-Ruppinensi Marchico.

IN FESTO PETRI ET PAULI:

A. O. R. cl. l. c. III.

HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris

Oelschlegell.

DIVINARUM
EVANGELIARUM

FESTIVALIUM

DE

WASSTADT

CHRISTIANI GUBERNII

ANNO

1710

IN

WASSTADT

WASSTADT

WASSTADT



ANALYSIS
EVANGELII
 IN FESTO PETRI ET
 PAULI

Matth. 16. v. 13. usq. ad 22.

ANTELOGIUM.



*M*oses Domini jussu supra
 aram statuit duos Cherubinos
 divinos, qui sese spectarent & in-
 uerentur, aliq. expansis propiti-
 atorium obtegerent aureum. Charitate par A-
 postolorum Petrus & Paulus gentium & Ju-
 deorum doctores, sese respiciunt spiritu & ore
 uno, summumq. locum tenent in Ecclesia: qua
 quomodo fundamenta sint, docetur in pericope
 Evangelica.

THESIS I.

In qua agitur de persona & officio Chri-
 sti tum ex opinione aliorum, ubi Christi in-

interrogatio v. 13. in quo circumstantia, & est tempus; Veniens autem Jesus. Siquidem Christus, uti ex antecedentibus patet, ubi digressus fuerat ex partibus Judææ, venit in oras gentiles: Ut discamus Christi diligentiam & sedulitatem, quia ubiq; operam dedit, ut salvaremur. Venit in fines Cæsareæ habetur h. l. sic adhuc extendit manus totâ die Es. 61, 2. in medio stat, Proverb. 8, 3.

2. Locus: in partes Cæsareæ Philippi. Qua sita erat in Iturea seu Trachonitide Galilææ seu Phœnicæ regione, ad eam montis Libani partem, ubi fluvii duo Tor & Dan commiscuntur. Postea à Philippo Tetrarcha Trachonitidis Herodis M. ex Cleopatra filio ampliata est edificiis. In honorem Tiberii Cæsareæ dicta ad differentiam Cæsareæ Stratonis in Palestina sita, quam Herodes infanticida in honorem Augusti sic nominavit, ut & alia Cæsareæ in Cappadocia fuit, ubi Basilus Episcopus fuit. Ut discamus, amanuenses Christi fidelissimos, uti Evangelistas vocat Cyrillus, omnes circumstantia probè annotasse propter historie veritatem.

3. Et causa, tum impulsiva, cum effectu & objecto: Interrogavit discipulos suos dicens. Imitatur ita Christus praeceptores solertia-

levissimos, qui discipulos diu informatos examinare solent, ut videatur, quid profecerint. Ut discamus imitari Christum & de fundamentis fidei interrogare Christianos.

4. Forma: Quem me dicunt homines esse, Filium hominis. Sicuti Marcus ait, quem me dicunt homines esse? Interrogat verò Christus non ob inanem gloriam & ambitionem, ac si vulgarem auram captasset; nec ob ignorantiam, ac si nescivisset varias turbae opiniones, siquidē ipsi omnia sunt nota Heb. 4, 13, etiam cogitationes Sapientum 1. Cor. 4, 6. Sed ut errorem hominum & erroris confessionem eliminaret, ait Beda. Et ut eò melius discipuli in vera sapientia confirmarentur. Unde discimus inquirendum esse hominum de nobis iudicium negligere nam famam suam crudelis est August. sen. c. 2. ad Fratres in Eremo: & facientibus hoc conduxit ad hoc, Origenes tract. in cap. 16. Matth. si quid mali dicitur, ut huius occasiones modis omnibus auferant. Sin boni qui propriam huius causam adaugeant: Digni enim animi signum est, Cassiodorus l. 1. Ep. 4. fame diligere commodum, neq; iudicium hominum est spernendum.

5. Ex discipulorum declaratio v. 14. In quo in specie distributionem recenset de

N. T. Illi vero dixerunt, hi quidem Johannem Baptistam. Johannes enim putabatur Christus vel ob novam professionem: nam aequè urgebat remissionem peccatorum Marc. 1, 15. uti Christus, Matth. 9, 13. Vel ob Baptismi institutionem: Johannes baptizabat Marc. 1, 4. Sic Christus Joh. 3:22. Vel ob piam vitae transactionem: Johannes Propheta divinus credebatur Matth. 14, 5. ab inimicis diligebatur Marc. 6, 10. idem Christo accidisse testatur Evangelista Marc. 12, 14. Vel ob nativitatis & adventus predictionem: Johannis adventus erat denunciatus Es. 4, 13. Mal. 3, 1. Christi etiã 7, 14. Mich. 5, 2. Inde turba opinabatur Johannem revixisse & Christum esse Johannem Baptistam qua suspicione & Herodes laborabat Luc. 9, 7. Matth. 14, 1. Ut discamus turbam esse belluam multorum capitum. Unde neq; in purgamentis hereticorum, neque in languore schismaticorum, neq; in cœcitate Iudeorum querenda est religio, Augustin. lib. de vera religione cap. 5.

5. De veteri testamento: Tum alii Eliam. Primo ob prophetiã quia Deus Eliam antequã dies venerit terribilis, se missurum esse promiserat Mal. 4, 5. Opinabantur ideoq; Iudei Christum esse Eliam, licet Johannes esset. Matt. 11,

14. 2. ob miraculorum efficaciam, quibus erat Elias clarus, aequè Christus. 3. ob parrhesiam; Elias à Deo vocationem palam ostendebat. 2. Reg. 1, 10. & Baalitas trucidabat. 1. Reg. 18, 21. sic Christus se à Deo missum esse Ioh. 8, 44.

7. Tum alii verò Hieremiam, Ob 1. vocationis singularitatem: Ieremias adhuc absconditus in utero vocatus; Iesus Christus Rex constitutus ab aeterno Ps. 2, 7. & Iesus vocatus antequam nasceretur Luc. 2, 21. 2. ob concionum severitatem: Ieremias horribiles pœnas indixit Ierem. 26. per totum, aequè Christus Hierosolymitanis Luc. 19, 41. Et ob 3. compassionis facilitatem de Ieremia Ierem. 9, 1. de Christo Luc. 12, 12. Et sic turba errarunt in Ieremia, quomodo Herodes erravit in Iohanne, ait Hieronymus in h. l. Ut discamus consuetudinem opinionum esse semper variam & plerumq; vanam.

8. In genere; Aut unum ex prophetis Partim 1. ob miraculorum editionem, partim 1. ob libero spiritu susceptam prædictionem, ut habetur Luc. 7, 16 & Ioh. 6, 15. Ut discamus semper fuisse vanas opiniones de Christo, ut p multiplicem gratiam Salvatoris, etiam, quod inimic in perniciem machinatur Deus in adiutorium convertat Aug. c. 10, ad Sixtū interim ea de Christo

opinio libera Chrysoſtomus Homil. 55. in
Matth. *Phariſæorum autem plena multa ma-*
litia.

9. Et ex ſententia Apoſtolorum, ubi par-
tim antecedens, ſpecialior Chriſti in quæ-
rendo ſollicitatio v. 15. In quo efficiens
cauſa: Dicit eis Chriſtus. *Qui inquirebat*
dum aliorum opiniones de ſe audiverat, ex an-
tithesi, quid Apoſtoli de ipſo ſentiant. Ut diſca-
mus inquirendum eſſe non tantum quid alii
dicant, ſed etiam, quid domeſtici ſtatuant, po-
tiſſimum ſi reſpiciat fidem & ſalutem; an quis
ſit in fide 2. Cor. 13, 5.

10. Tum eſt materia: Vos autem, quem
me dicitis eſſe? Merito eos querit, inquit
Chryſoſtomus hom. 55. in Matthæum, *ut*
quoniam plura majoraq; ſigna quam ceteri vi-
derant, majora etiam de ipſo dicerent, quam
homini conveniret, Vos, inquam, qui plura
me feciſſe vidiftis, qui meo nomine complu-
res virtutes ipſi quoq; feciſtis, quem me eſſe di-
citis? ut quib; datum erat noſſe myſteria regni
Dei. Matth. 13. & qui lux mundi Matth. 5, 14.
Ut diſcamus cuilibet reddendam rationem
eſſe fidei, propter mandati divini authorita-
tem, dum Petrus ait: Eſtote parati ad reſpon-
dendum cuilibet petenti rationem 1. Petr. 3, 16.

Quod

Quod enim creditur, habet Augustinus lib. 44. q. 113, non ignoratur 2. propter exemplorum claritatem. Sic Noa confessus fuit coram Cainitis Gen. 6, 9. Abraham coram Cananitis Gen. 12, 7. Loth coram Sodomitis 1. Petr. 3, 7. David coram Saulitis Ps. 116, 10. Iosua coram Ammonitis c. 22, 15. Baptista Iohannes coram Levitis Ioh. 1, 21. 3. propter insignem utilitatem. Glorificantes enim Deum glorificantur 1. Sam. 2, 30. Matth. 10, 12. Et tandem propter pœna gravitatem. Qui enim negavit Deum coram hominibus, negabit eum Christus coram Angelis Matth. 10, 33. Unde Augustinus ait Ps. 118. Pactum Dei non observant, qui persecutionem tolerantes à testimoniis Dei negando declinaverunt.

11. Consequens est Petri attestatio v. 16. In quo iterum causa efficiens quoad modum: Respondens. Sed ad interrogata Christi, Vt discamus non esse tacendum de confessione, sed esse respondendum.

12. Quoad titulum, in nomine proprio: Simon. Qui nihil aliud denotat, quàm auditorem. Vt discamus si velimus esse Christi discipuli, a què auditores ut simus.

13. In cognomine: Petrus. Qui ita dictus ob immobilem fidei constantiam; & Syriacè idem sonat quod cephas. Idq; nomen ei Christus

posuit Ioh. 1, 42. Nec enim nomen Græcum
 ἀπὸ κεφαλῆς, sed uti dictum, est Syriacum. Et
 quamvis Nazianzenus & Epiphanius allu-
 dant ad vocem κεφαλῆς ob literarum simili-
 tudinem, tamen non probant. Significat verò
 propriè lapidem unum, non integram rupem,
 uti etiam ex Hesiodo patet, qui asserit petras
 in manibus haberi, quod de rupe asseverari non
 potest. Ut discamus, Petrum fuisse quidem
 constantem, non tamen propterea fundamen-
 tum totius Ecclesie. Et licet Petrus prævene-
 rit reliquos, uti loquitur Chrysostomus hom.
 55. in Matthæum, quia ardore Christi præci-
 piè fervebat, eratq; ad faciendum & respon-
 dendum paratissimus, uti ait Cyrillus lib. 12.
 in Iohannem cap. 64. tamen reliquorum no-
 mine unus respondebat pro multis, uti habet
 Augustin. serm. 13. de verbis Domini, ut qui
 es erat omnium Apostolorum, & vertex seu
 Coryphæus consortiū totius, ratione ordinis,
 Matth. 10, 2. uti notat Hieronymus l. 1. con-
 tra Iovinianum, ratione ætatis, ratione vocati-
 onis & authoritatis Matth. 4, 19. Marc. 1, 17.
 Neq; tamen semper primus nominatus, uti vi-
 dere est Gal. 2, 9. ubi primum Iacobus. 1. Cor. 9,
 5. & postmodum Cephas.

14. Forma, quoad officium: Tu es Christus

His

Hic enim ille Christus, uti legitur apud Marc.
8, 19. seu Christus ille, uti apud Luc. 9, 20. Id
denotat idem, quod Messias Hebrais. Et hoc
ipso confitetur humanam naturam, quia unctus
Ps. 45, 5. Ut discamus rotundè confiteri, Is e-
ssim proditor veritatis, qui non liberè pronun-
ciat, ait Chrysost. hom. 25. in Matth. oper.
Impert. Et nihil, addit Ambros. l. 5. Epist.
29. ad Theodos. in sacerdote tam periculosum
apud Deum, tam turpe apud homines, quàm
si quod sentiat, non liberè denunciaret.

15. Et quoad personam: Filius Dei vivi.
Eo ipso testatur, quod sit verus Deus, unigeni-
tus Patris. Et vivum appellat Deum, ait Hi-
eronymus c. 16. in Matth. ad distinctionem
eorum Deorum, qui putantur esse, sed mortui
sunt. Ut discamus eam esse fidem rectam,
quemadmodum loquitur Athanasius ne
credamus & confiteamur, quod Dominus no-
ster Jesus Christus sit Dei filius.

16. Et Christi approbatio, ubi ejusdem
est commendatio v. 12. in quo iterum tum
causa: Et respondens Jesus dixit ei. Petre
quidem, ut qui confessionem nomine reliquo-
rum ediderat, interim non excluduntur reli-
qui, uti patet ex sequentibus; siquidem Petrus
locutus erat pro omnibus, unq. pro multis, unius

in multis, uti loquitur Augustinus, serm. 13. Unde sic Abulensis quæ. 60. potest dici, quod cæteri Apostoli meruerunt credendo, sicut & Petrus, ut premium eis reddatur: quia tamen solus hic Petrus locutus est, respondit ei soli Christus dirigendo verba ad eum. Et tamen verba, quæ Petro dantur pro hac fide, dantur & aliis, cum eadem sit fides omnium.

17. Tum forma, ubi appellatio ab effectu quoad prædicatum: Beatus es. Quia Christum Patris propriè filium confessus est, uti habet Chrysostomus. Qui enim confessus ore, corde autem crediderit, saluus erit, Rom. 10, 9. Ut discamus confessionis utilitatem: ejusmodi enim consitentibus ait promissa vita æterna. Joh. 3, 16. Non quod errare Petrus amplius non possit, siquidem erravit multipliciter 1. Curiositate dum ambulat in mari, quo incidit in diffidentiam Matth. 14, 28. 2. Prohibitione passionis, quo nomine etiam ipsum Christus Sathanam indigitat Matth. 16, 22. 3. Ambitione dum cum cæteris Apostolis de primatu contenderet Matth. 18, 1. Marc. 9, 34. Luc. 22, 24. 4. Præpostera dilectione in amputanda auricula Malchi Matth. 26, 52. 5. Trina abnegatione & maledictione Matth. 26, 70. seq. 6. Interina abnegatione post accepta Spiritus S. dona ex gratia, ubi à Paulo reprehensus Gal. 2, 14.

18. Et

18. Et à relato quoad subjectum respectu
 nominis proprii: Simon. *Repetit nomē, quod
 denotat auditorē. Tunc enim veraciter fideles
 sumus si id facimus, quod promittimus, & quod
 verbis credimus operibus adimplemus. Verus
 Simon est qui talia prestat.*

19. Respectu cognominis: Barjona. *Qui
 ita dicitur, quia filius Jona, quae vox columbam
 significat, dum uti columba facile domatus, ubi
 à Christo vocatus ipsum secutus 2. Valdè dile-
 xit dum pro ipso mori voluit, Luc. 22, 33. Inge-
 muit, quum abnegasset & primus inter Aposto-
 los fleuit Luc. 22, 62.*

20. Ratio per negationem: quia & caro
 & sanguis non revelavit tibi. *Id est hu-
 mana ratio vel opinio, uti loquitur Chryso-
 stomus. non enim preclarus uti Cyrillus ex-
 plicat. Dialog. 4. & in considerato fiebat ru-
 muluarie nec ex humanis mentibus scaturi-
 ebat: unde nihil magis contra fidem quàm cre-
 dere nolle, quicquid non possis ratione attingere
 ait Bernhardus.*

21. Per affirmationem: Sed pater meus,
 qui in cœlis est, revelavit tibi. *Quia nemo
 novit filium, nisi pater & cui revelavit. Inde
 Hilarius can. 16. in Matth. Dei filius Patris
 cœlestis revelationem conspexit. Ut discamus
 quod*

quod nec Iesum possimus dicere Dominum nisi
in Spir. S. 1. ad Cor. 12, 3. Id quod fit per ver-
bi notitiam Joh. 5, 39. per orationem Iac. 1, 17.

22. Remuneratio, quæ est Ecclesiæ fun-
datio v. 18. in quocausa Efficiens: Ego autem
tibi dico. Siquidem I. C. est fundator Ecclesiæ
& caput. Osee 22, 2. El. 28, 16. 1. Cor. 10, 4. qui
suo precio redemit Ecclesiam 1. Petr. 1.

23. Et materia respectu Personæ : Quia
tu es Petrus. Ac si diceret, interprete Hiero-
nym. in c. 16. in Matth. quia tu mihi dixisti,
Tu es Christus filius Dei vivi, ego vicissim
tibi dico non sermone crasso (& nullum opus
habente) sed dico tibi (quia meum dixisse fe-
cisse est) Tu es Petrus. Non frustra ita ante no-
minatus, Ioh. 1, 44. Demonstrationem ipsius
indens nominis, similitudinis circa fidem, ait
Chrysostomus. Est enim Confessio, quam
professus, fundamentum credentium, inquit
Theophylactus super h. l. ita ut omnis homo
exstructurus domum fidei, per hoc fundamen-
tum sic acturus, ut intelligatur non esse de uno
eodemq; objecto in unoq; pronunciato sermo.
Alias etiam Eph. 2, 21. dicuntur ipsi Apo-
stoli super hoc fundamentum edificati. Non
igitur respectu personæ, sed respectu confessionis
ita dicuntur, quia Christus fundamentum 1.
1. Cor.

1. Cor. 3, 11. & Eph. 5, 9. at fundamentum unum est 1. Cor. 3, 11. Ut discamus firmi esse.

24. Respectu confessionis, quoad denotationem; & super hanc petram. Id est super hanc confessionis petram, uti Hilarius interpretatur. Quam tu cognovisti, & confessus es, uti Augustinus serm. 13. de verbis Domini & de Trinitate lib. 2. c. 17. explicat. Non enim Petrum respicit, quia non dixit super hunc Petrum, sed super hanc petram. Neq; pronomen demonstrativum semper pendet à proximo, uti patet Ioh. 6, 4. 9. Vbi pronomen hic non explicat manna 3. uti ipse explicat Ioh. 6, 51. Inde Chrysostomus serm. 26. Super hanc petram, dixit, non Petrum, non enim super hominem, sed super fidem ædificata Augustinus lib. 1. Retractationum c. 21. Et Syrus etiam distinguit: nam in antecedente est hu masculinum, in consequente est hada femininum.

25. Effectus, respectu constitutionis Ecclesie, quoad foundationem; Ædificabo Ecclesiam meam. Id est omnes, qui nondum vocati estis, per fidem vocabo, ut sitis lapides vivi: sicut. 1. Pet. 2, 14 habetur. Ut discamus super Christum Ecclesiam esse ædificatam. Petra enim est Christus 1. Corinth. 3, 11. uti &

collig-

colligitur ex Pl. 118, 25. Es. 28, 16. Ier. 4, 13 &
 26. Quoad durationem: & portæ inferni non prævalebunt ei. Id est, vis & potentia Diaboli non superabit eam, ita domus Dei firmiter edificata Matth. 7, 25. 1. ob debilitatem impugnantis; debilis enim est hostis Hieron. propter fortitudinem auxiliantis. Deus enim est fortis. 1. Reg. 2, 2. propter sollicitudinem conservantis, quia custodit Es. 62, 6. Ut exinde colligatur per petram Christum intelligi, quia Petrus lapsus fuit. Matth. 26, 6.

27. Et ministerii ordinatio, in quo summam ostendit, quomodo ædificare voluerit, metaphorica similitudine: Tibi dabo claves regni cælorum. Tibi dicit, quia recepit pro se & pro quibus ipse locutus; non addit verò tibi soli siquidem Christus commisit etiam aliis claves Ioh. 20, 23. Hoc enim erant, habet tractat. 3. Cyprianus, cæteri Apostoli quod fuit Petrus pari consortio præditi & honore & potestate pares, doctrina, quia à Spiritu S. in omnem veritatem ducti Ioh. 16, 3. pares in ministerio, quia omnes à Christo missi sunt Matth. 28, 19. Unde Apostolus Paulus dicit, se nihil minus abesse ab iis, qui sunt supra modum Apostoli 2. Corinth. 12, 11. eosque, qui videbantur aliquid, nihil sibi contulisse. Gal. 2, 6.

per

per claves enim intelligitur potestas non politica, sed Ecclesiastica: quia illa interdicitur Luc. 22, 15. 1. Pet. 5. 3.

28. Et explicatio quoad ligationem, cujus antecedens: *Et quicquid ligaveris super terram. Id est quibus retinueritis peccata, quemadmodum interpretatur Christus apud Ioh. 20, 24. ligare enim est peccatorum nodis innoxos relinquere, ait Hilarius cap. 15. in Matth.*

29. Et consequens: *Erit ligatum in caelis Non ex voluntate ligantis per se, sed ex voluntate legantis: non enim habet potestatem absolutam clavibus pro arbitrio utendi, sed ministerialem; qui enim non credit, eo ipso iudicatus est, Iob. 3, 8. Et sic minister in iudicio Dei nexum ordinariè applicat pro modo cause agendi ministerialis. Nec obstat ministerium Christi esse ordinem caelestem & ligamen ministri precedere ligamen caeleste: iis enim verbis solum identitas eventus, non subordinatio divina retentionis ad sacerdotalem indicatur, cum ligatio sacerdotalis dependeat à ligatione Dei.*

30. Et quoad solutionem, cujus antecedens: *Et quodcumque solveris super terram. Id est remiseritis: Hoc enim est solvere, quemadmodum & Christus solvere dicitur viñctos Es.*

43. 6. ad dispositionē solvendi, quē antea oportet credere, uti patet ex Marc. 1. 13. & ex mandato Christi Marc. 1. 5. oportet enim ante Christū solvere, uti constat ex Matthaei 12. 37. Act. 2. 7. Act. 10. 47.

31. Consequens: Solutum erit in caelis, Propter continuationem ejusdem gratiae eos, quos poenitet & qui credunt. Eò enim ipso, qui credunt, sunt actu filij Dei Gal. 3. 26, habent ius regni caelorum Ioh. 1. 22. Jam dum transierunt de morte in vitam Iohan. 5. 24. Unde Gregorius Homil. 26. in Evangel. Tunc vera est absolutio praesidentis, cum aeterni arbitrium sequitur iudicis. Quod bene quadragesimali mortui resuscitatio illa significat, quae videlicet demonstrat, quia prius mortuū Dominus vocavit & vivificavit dicens Lazare veni foras. Postmodum is, qui vivus egressus fuerat, à discipulis est solutus sicut scriptum est: Cumque egressus esset, qui fuerat ligatus linteis, tunc dixit discipulis: Solvite eum, & finite abire. Ecce illum discipuli iam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, foetorem magis ostenderent, quā virtutem. Ex qua consideratione videndum est quod illos debeamus per auctoritatem pastorem solvere, quos

445

quos Autorem nostrum cognoscimus, per susci-
tantem gratiam vivificare. Atq; hac est
connexio absolutionis sacerdotalis cum
cœlesti, ut ab hac, illa dependeat; potestas itaq;
sacerdotis consistit in eo ut ordinariè solus ju-
dicet de dispositione confitentis solusq; absolu-
tionem denunciet, & applicativè pro modo
causa ministerialis absolvat.

31. Quantumvis ergò sacerdos vel Minister
Verbi divini nec politicum quemdam domi-
natum, nec absolutam, dictatoriam & duni-
cipalem quandam potestatem habeat, a-
deo ut pro arbitrio & propria virtute tanquam
dominus peccata remittere vel retinere queat,
cœlum aperire vel claudere valeat, quod certè
non nisi solius Dei est & Salvatoris nostri Mich.
7. 18. Mar. 2. 7. Apoc. 1. 18, cap. 3. 7. habet ta-
men potestatem διακονικὴν 2. Cor. 10. 8, ut
oeconomus minister & dispensator mysterio-
rum Dei 1. Cor. 5, 20, adeo ut non tantum
pœnitentibus remissionem peccatorum in cœlis
à Deo factam & datam, in terris denunciet,
sed etiam ob commissas claves, in persona Chri-
sti. 2. Cor. 2, 10. peccata pœnitentibus remittat
impœnitentibus retineat Ioh. 20, 23. Et sic non
duplex, sed una remissio & retentio sit, non du-
plices vel diverse sed eadem claves, deducente

Kk

Luthe-

Luthero Tom. 5. Jen. fol. 232. *Nec absurdum sit iuxta Cyrillum lib. 12. in Ioh. c. 56. peccata ab illis remitti, qui Spiritum Sanctum habent in semetipsis, & funes atq; vincula peccatorum solvere possint & Apostoli (eorumq; successores) imitantes Magistrum suum, qui eis dixerat: quaecunq; solveritis super terram, erunt soluta & in caelo. Solvant autem eos sermone Dei & testimoniis scripturarum & exhortatione virtutum, scribente Hieronymo in c. 14. Et. Sintq; claves Ecclesie certiores quam corda regia. Quib; clavib; quodcumq; in terra solvitur, etiam in caelo solutum esse promittitur secundum Augustinum l. 50. nomil. 50. Magna enim dignitas Sacerdotum quorum remiseritis, inquit, peccata remissa sunt, Chrysof. hom. 85. in Ioh.*

~~~~~

## N O T A.

### I.

**Q**uem vocant Filium hominis) considera *humilitatem Christi, dum vocat se filium hominis licet & filius Dei vivi, uti testatur Petrus, ut discas, submisse de te sentire & loqui.*

### II. Quem

**Q**uem vos dicitis esse? ) considera  
 quod discipuli plus scire debeant, ide-  
 oq; interrogat eos; ut discas, si vis esse di-  
 scipulus, plura prestare.

III.

**S**uper hanc petram ) Considera pe-  
 tram nominari fundamentum Ecclesie;  
 ut discas constantiam ejusdem.

## CASUS.

An domesticus testis præferendus?

**N**egandum videtur, 1. Quia hic Chri-  
 stus querit de iudicio aliorum.

2. Quia iura domesticos rejiciunt in l.  
 etiam & ibi notant omnes C. de testi-  
 bus. Etiam iure civili, inquit Imperator,  
 domestici testimonij fides improbatur, in  
 in l. 1. § ad quæstionem ff. de quæstio-  
 nibus.

3. In iure Canonico. c. canonizata in  
 c. X. de testib. 4. q. 3. c. in literis X. de  
 testibus c. super prudentiâ ibid. Ne  
 qui domestici ad probationem assumantur.

4. Nobilitas & virtus probatur per  
 Kk 2 famam

448  
Jannam Bal. in l. providendum C. de  
postulando & inter l. 1. colum. 1. C. de  
testibus an peritus vel industrius Bar-  
tol. l. 1. C. de testamento Freherus de  
fama lib. 2. c. 8. n. 15.

*Contra 1. Hic Christus cupit audire  
testimonium Apostolorum, ut qui potius  
scire potuerint, quam alij, quid de ipso sta-  
endum.*

*2. Jura concedunt testimonium dome-  
sticum in facto de vero simili, dum domesti-  
ci magis informati, quam extranei p. tex-  
tum in c. veniens in fin. X. de testibus,  
& in l. quoties C. de naufrag. & in c.  
super prudentia 14. q. 2. Marsian. in l.  
1. §. ad quaestionem. Gabriel titul. de te-  
stibus conclus. 10. n. 40. Farinac. de  
testibus lib. 2. tit. 6. q. 55. n. 36. & seqq.*

*Ad contraria 1. Fall. conseq. qua-  
erit quid alij, sed non tantum: Et quum  
illi vocarentur, ad domesticum potius te-  
stimonium videtur confugisse.*

*Ad 2. Fall. cause: in criminalibus quidem  
non valet facile, si aliud haberi potest, in  
civi-*



civilibus omnino, uti ex contrariis supra allegatis rationibus patet.

3. Fall. conseq. Aliud est de famâ loqui, aliud de statu suo, qui uti per famam probari, ita vel maximè per domesticos potest vid. Farinac. d.

~~~~~  
C A S U S II.

An dominiū sit rerum incorpore-
ralium?

Videtur 1. Quia hic Petro traduntur claves tanquam dominiū signum, unde & Dominus vocatur.

2. Quia expresse habetur in l. 13. §. 1. ff. de damno infecto sive dominus corporis, sive is, qui jus habet: quia ubi dominus, ibi dominiū. At hic dominus juris, quod incorporeale, ut l. Mævius § fundo ff. de legat. 2. l. ult. in fin. C. de præscript. long. temp. Ergo etiam dominiū rei incorporalis l. 2. C. ubi in rem act.

Omnis rei vindicatio præsupponit dominiū l. in rem actio, 32. ff. de rei vindic. At res incorporales vindicantur, ut usus fructus l. in ff. de usus pet & pignora l. si fundus 16. §. ff. de pignorib.

Kk 3

4. Pas-

4. Passim in jure dicitur dominium proprietatis l. 42. C. de probat. & dominium solius juris si superficiario creditoris vasallo est l. 14. §. fin. C. de SS. Eccl.

Contra 1. Petro datur jus solvendi & ligandi, non dominium.

2. Rerum incorporalium non datur vindicatio l. 1. & 6. & 56. ff. de rei vindic.

3. Dominium causa possessionis est, qua apprehensionem requirit l. 43. ff. de acquir. vel amittend. poss. apprehensio requirit corpus, quod non legitur de Petro quo ipsi taliter claves tradite ut propria.

Ad contraria 1. Est pet. princ. Petro enim traduntur claves non ut dominium acquirat, sed ut utatur cum ceteris Apostolis, quia & ceteris tradite claves Joh. 20, 28.

Ad 2. Fall. secundum quid, per similitudinem aliquam ita dicitur, non quod revera l. 58. ff. de V. obl.

Ad 3. Etiam secundum quid quatenus quodammodo vindicatur Cujac. l. 5. Obl. 29.

Ad 4. e idem Fall. improprie ista omnia dicun-

dicuntur, nam alias dominium & proprie-
tas distinguuntur l. cum oportet impr.
t. ult. §. 1. C. de bonis quæ liberat.

~~~~~

### CASUS III.

An præco Ecclesiæ, qui pro concione  
notat quempiam graphicè inju-  
riarum teneatur?

**A** Ffirmandum videtur, quia facit ani-  
mo ledendi dum non observat me-  
thodum à Christo præscriptam Matt. 18, 15

2. Quia non sunt peccata proximi sta-  
tim in publicum spargenda Matth. 18, 15.  
Sirac. 19, 6, 10.

3. Ita testantur pleriq; J. Cti Clarus lib.  
5. sententia recepta, §. injuria n. 1. A-  
lexandr. de Nerv. cons. 82. Farinac. lib.  
3. Prax. crim. q. 105. in spect. 10. n. 406.  
Berlich. par. 5. conclus. pract. 59. n. 3) &  
conclus. 60. n. 8.

Contra hic 1. Commissum Petro ut  
ligent & solvant ministri, id quod  
tam in doctrina quàm in vitâ fieri  
debet Es. 58, 1. Ezech. 38, 7, 2. Tim. 4, 2.

2. Non

2. Non est injuria veritatem dicere & officium facere suum.

3. Coram omnibus delinquentes sunt redarguendi 1. Tim. 5, 20. sic & incestuosum Paulus tradidit Satanae 1. Cor. 5, 5.

Ad contraria 1. Fall. cause: In isto dicto agitur de dissidiis privatis, uti constat ex seqq. colligitur potius quod publicè redarguendi, non autem de publicis scandalis agitur in isto loco.

Ad 2 Fall. cause, nempe ut illudantur & prostituantur, non autem hoc allegari potest, si animo fiat corrigendi & emendandi ex l. 5. §. ult. ff. ad l. Aquiliam l. 13. §. item Juliam ff. locat. Kizel. Synops. matri. c. 7. rh. 8. lit. 1. Gail. lib. 2. obs. 106. n. 6. Haprech. inst. lib. 4. n. 30.

Ad 3. Ad auctoritates, respondendum: non presumi quod animo maligno fiat, quod si tamen inquirendum Crus. dil. 2. coll. cum th. 42. Videatur Lyserus in Harmonia Evang. continuata c. 92. und der Bericht des Synodals Schlusses zu Gotha vom straff. Amte 1545.

**I**lla placet merito, si congrua formula recto.  
Ac ad eam prorsus si fabrefacta quadrat,  
Sic Iesus: homines hominem me quemne, Phi-  
lippos

Dum venit, dicunt? querit & ipse suos.  
Respondent: alii quod sis Baptista, vel ille  
Thebites, aliis vatis habere loco.  
Tunc Iesus rursus, sed vos quem dicitis esse  
Me? quis ego vobis censeor esse? rogo.  
Mox Petrus, Simonis nomine, farier inquit:  
Es vivi Christus Filius ipse Dei.  
Es, Iesus dixit Simon Bariona beatus:  
Nec caro, nec sanguis dixit, at ipse Pater.  
Na Petrus es! Petram super istam colloco sedem  
Ipse meam, quam Styx frangere nulla potest.  
Et Tibi do claves caeloq, soloq, liganda  
Et solvenda, soli jura, simulq, poli.  
Formula talis erat, fuit investitus & ista  
Petrus, LEISTENIO congrua talis erit.  
test. GUEINZIUS.

**D**um monstras, quis sit Deus, & sit qualis  
ab evo,  
ac nobis nosci qua ratione velit.  
Et quid in his terris Ecclesia, quidve potestas  
claudere qua caelos vel reserare valet,  
Testaris vivum lapidem, membrumq, beatum  
Te, quo constructa est hac quoq, sancta do-  
mus, Perge

*Perge piò cœptis, LEISTENI, ferq̄ laborens  
succeedent studiis magna brabea tuis.  
Si sic incepto decurrere tramite perges  
impages cœli nobilis ipseus eris.*

*ita Resp. eximia spei voveb.*

**Christianus Rüdiger Gym.**  
Hall. Collega quartus.

---

**S**int quos beate Iuctifer queat Mavors,  
Qui miscet omne bellicis fremēs turbis,  
Ciet nefanda bella, versat incertā  
Et sorte; sint, quibus placet calens Bacchus  
Iubens pavore corda conscio læta  
Levare, tela spernere, & viros fortes;  
Sint quos Cupido callidum genus Cypri  
Vincat potentis & Paphi Deæ celsæ,  
Qui sauciat catus manu tenens arcum;  
Et sint, Olympicum sabinde quos curru  
Legisse pulverem juvet laborantes;  
**LEISTENII** recedit hoc medullis, is  
Divis novem Sororibus studet, verbi  
Et dogma vividi sacrum secat, perstet,  
*Subscus* ei quoque unicus Dei Gnatus  
Eritque *Petra* firma, prestat ut dictum.

*Oreste suo contexebat*

Johan-Benedictus  
Schubart H.S.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



1017

EVANG.


CHRIST

HALL

Q2 C







Farbkarte #13

B.I.G.

|        |        |         |
|--------|--------|---------|
| Blue   | Blue   | Black   |
| Cyan   | Cyan   | 3/Color |
| Green  | Green  | White   |
| Yellow | Yellow | Magenta |
| Red    | Red    | Magenta |
|        |        | White   |
|        |        | 3/Color |
|        |        | Black   |

TIARUM  
 ELICARUM  
 IVALIUM  
*quisitio XIX.*  
 PRÆSIDE  
 NO GUEINZIO  
 nasi Hallensis  
 Rectore  
*spondente*  
 MO LEISTENIO  
 pinensi Marchico.  
 PETRI ET PAULI;  
 D. R. clb. Idc. III.  
 LIS SAXONUM  
*eredum Melchioris*  
*Oelschlegell.*

